Iurisprudentia

Karpinski Laurentius
Bartsiowie Matthiae
Czaplic Stanislaus

} Quaestio de solutionibus.

QVÆSTIO
DE
SOLVTIONIBVS.

Ad c. cum Canonicis Ext. de Censibus iuncta L. Paulus ff. de Solutionibus.

QVAM

Præsidente Adm. R̃ndo & Clariß. D̃no,

D. STANISLAO PVDLOWSKI, I. V. Doct. & Professore, ad S. NICOLAI Præposito. &c. &c.

MM. LAVRENTIVS KARINSKI, MATTHIAS BVRSZOWIC, Collegæ DD. I. C. & Nouorũ Iurium Professores: & STANISLAVS CZAPLIC, Cont: DD. I. C. Senior, pro sui Baccalaureatus in vtroq; Iure determinañ.

DECIDENT.

Anno Domini 1638. Mens. April. 15. Hora 7.



IN STEMMA.



Religionis honos, virtutis ſplendor auitæ;
In hoc collucent Stemmate purpureo.
Arma, viri, galeæ, clipeiq́; haſtæq́; ſub iſto
Vexillo, fauſtum præſidium accipiunt.
Ipſa adeò Patriæ libertas tuta quieſcit!
Felicem ô tantò pignore Sarmatiam.

M. Ioannes Cynerſki
Rachtamouius.

Illustri ac Magnifico Dño,

D. MICHAELI NICOLAO DE ZEBZYDOWICE ZEBRZYDOWSKI:

Lanckoroneñ Capitaneo, Domino & Patrono nostro Colendissimo.



ON possumus errare, Illustris & Magnifice D. dum nostram spem honoris à Facultate Iurisprudentiæ Augustâ obtinẽdi in tuũ Tholum deferimus deponendã, pulchrã sub cuius magnitudine hilarior cõquiescat. Neq; enim debitum præclaris rebus precium suumq; honor defertur, nisi præsint illi fauentes, quorũ virtus generosa, in auitâ turpi sine liturâ continuãdâ famâ excubat, & sapientia pura nulli est sine commodo mortaliũ. Vanum profecto, & inglorium negotium est, sine honorato præstite & cordato (qui non minus oblatũ amat, capitq;) in omnes promiscuè proiectum. Et quidẽ gentemné Tuam trabeatam in Te, an Te in ipsa admirabimur? Nunquam vetus tempus sterilitatis facinorum Zebrzydouios arguebat: nunquã recens. Non aliena, ignobilem per inertiam, suspiciendo merita, in communi cCõnciuium gloriâ, versari

 ipsis

ipsis necessitas fuit, nisi proprijs, læti, gloriarētur triumphis. Equidem aut galeati, sagatiq; hostilium inter aggeres cadauerū, fœdâ natantium tabe, fessis cædibus anhelando hærere; vel mitratis, paludatisq; in sellâ curruli, integritati Patriæ, & bono conciuiū, consilio cato, hæreditarium fuit prouidere. Neq; tantopere, trophæa illa, arcus, coronæ, statuæ, virtutem eorum dirigebant; quam amor Reipublicæ, quasi ex debito succendebat. Mittimus famosos illos, verè ciues Polonos, & viros Sarmatas, in lineam, nominatim reducere, quos honor annalium, paginas suas angustans, fide intactâ posteritati conseruat. In Te vno, Bellatoris illius, non moriturae memoriæ, Nicolai Palatini, & Capitanei Cracouieñ. verò nepote: nec degenere filio Ioannis Ensiferi; cui sub signis potius, & vexillis, inter ferratas cohortes, gladio, contra inimicam viciniam, quam ad fasces, & purpuram, dulci Patriæ, officium boni Ciuis, placuit adòlere: tot sibi oblatis, remissis honoribus. In Te inquimus vno, quem pertæsa moræ ante annos virtus, honesti seuem prætextâ exuit, annosæ maiorū exponitur nobis parerga gloriæ, breui in perfectā imaginem transitura. Redacta scilicet ad amussim honestate, Equitis Poloni: non es passus pueritiā inerti socordiâ osci tantem languere, non incultu virtutem obsolescere: ridiculam rem esse elemētariū senem tibi proponens. Magna promittit, & maioribus conformia, hæc ætas tua, quæ te-

nerior

nerior adhuc iam despumauit, & feruorē adolescentiæ in-domitum, non lassauit, sed extinxit. Excelsam spem offert dexteritas, in Comitiis generalibus Regni, inter tot motus fluctuantis Reipub. ad inuidiam exerta. Iremus nunc in vota, & acclamationes, quibus te numerosa Nobilitas frequensq́ Senatus adolescentē excipiebat: nisi fama tua, publicæ dedicata panegyri omniū, memoriæ hæreat inculcata. Non igitur erramus, quod sub tuū nomen cum primitiis nostri honoris diuertamus. Tu tantùm permitte primum hunc partum solatij, quem duri laboris amaritudo parturit Tuæ magnitudini consecrare.

Illustris & Magnificæ Dominaationis Vestræ

addictissimi.



QVÆSTIO DE SOLVTIONIBVS.

Ad c. cum Canonicis Extra de Censibus Juncta L. Paulus ff. de Solutionibus.

V. Monetâ quoad bonitatem intrinsecã vel extrinsecam mutatâ, solutio census aut mutui sit facienda, iuxta valorem, quẽ tempore contractus, an quem tempore Solutionis moneta habet? nec ne.

CONCLVSIO I.

Monetâ in bonitate intrinſecâ, hoc eſt in materiâ, pondere, & quantitate, mutatâ: cenſus ſoluendus eſt iuxta eam bonitatem, quam habuit tempore contractus, non autem quam habuit tempore Solutionis.

COROLLARIA.

1. Debitor integrum cenſum in bonitate de quâ conuentum eſt non ſoluens, ſed aliquid imminuens de bonitate, tenetur integrum ſoluere, aliâs non liberatur.

2. Non ſolùm character ſeu ſignum, ſed etiam bonitas materiæ & pondus eſt attendendum.

3. In futurum ſolutio debet fieri ad monetam antiquam vel eius æſtimationem, pro obligatione contractâ qua vigebat.

4. Quamuis tempore contractus contrahentes nullam faciant mentionem, vt cenſus iuxta valorem tempore contractus ſoluatur: tacitè nihilominus videtur actum eſſe, vt iuxta eum fiat ſolutio.

CON-

CONCLVSIO II.

Quoties pecunia eodem pondere & materia manentibus, vel augetur, vel minuitur extrinſecus quoad eius pretium & æſtimationem: mutatio eius debitori, & obeſt & prodeſt.

COROLLARIA.

1. In dote & locationis contractu tempus itidem contractus non ſolutionis attenditur, quoad bonitatem extrinſecam.

2. Si legatum ſit particulare, tàm rerum, quàm pecuniarum, tempus teſtamenti non mors teſtatoris ſpectanda: ſecus ſi vniuerſale.

3. Deficiente moneta antiqua, iuxta cuius valorem ſoluenda ſit penſio: iuxta æſtimationem ſolui debet, quæ erat tempore contractus.

4. Vbi aliquid dari vel tradi eſt in obligatione, ſatis eſt illud petere, licèt non poſsit haberi: Iudex enim poteſt condemnare ad illud quod eſt in obligatione tradendum, vel ad eius æſtimationem, licèt æſtimatio non ſit petita in libello.

CON-

CONCLVSIO III.

In mutuo ſi longo temporis interuallo monetæ valor creſcat vel decreſcat, non tempus reſtituendi, ſed dati mutui attendi debet.

COROLLARIA.

1. *Debitor non tenetur diem determinatum ſolutionis expectare, ſed inuito etiam creditori ante præſtitutum tempus exoluere poteſt.*

2. *Licèt ad valorem & æſtimationem; debitor creditori teneatur, ad eiuſdem tamen generis nummos exoluendos non tenetur, præſertim ſi non ſit expreſſum in mutui contractu.*

3. *Si mutui tempore ſit periculum crebræ mutationis monetæ ac valoris, & tandem mutetur, non tenebitur debitor ad reſtitutionem mutui tempore contractus ſed ſolutionis.*

4. *Inuito creditore debitor liquidum debitum per partes minimè poteſt ſoluere ſed in ſolidum: ſecus conſentiente.*

Sub felicibus auspiciis


Magnifici & Admod. Reuerendi Domini, D. ALBERTI BOROVII S. Theol: Doctoris & Professoris, S. Floriani Custodis, Almæ Academiæ Crac: Rectoris Vigilantissimi.

Decanatu verò

Clarissimi & Admod. Reuerendi Domini, D. THOMÆ SWINARSKI, I. V. Doctoris & Professoris, Vielunensis Canonici.

GRACOVIÆ,

In Officina Matthiæ Andreouiensis, Anno Domini 1638.



~~Karinski Laurentii~~

~~Quaestio de solutionibus.~~